

Eucharisticæ communionis privatione, præterquam in exitu vitæ; sic enim decernit canone sequenti.

7. Can. XVIII. Si qua vidua Episcopi, sive Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nulla religiosa cum ea convivium sumat, nunquam communicet, morienti tantum ei Sacramentum subveniat.

Quam male coheret canon usque adeo severus cum præcedenti canone, quo si Mendozæ fidem habeamus, porrigi jubetur Eucharistia concubinaris impudentibus, nec a peccato desistere volentibus.

8. Can. XX. Quamvis pene ubique custodiat, ut absque Episcopo nemo Chrisma conficiat: tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma conficere, & per diocesim destinare; ita ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Pasche Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut consecrum Chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Pasche possit occurrere. Episcopo sane certum est omni tempore licere Chrisma conficere. Sine conscientia autem Episcopi nihil penitus faciendum. Statutum vero est, Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; presente vero Episcopo posse, si ab Episcopo fuerit preceptum.

His conformia jam ante disposuerant Carthaginenses canones. Etenim Concilii Carthaginensis secundi canon 3. sic habet: Fortunatus Episcopus dixit, si jubet Sanctitas Vestra suggero. Nam memini precedenti Concilio fuisse statutum, ut Chrisma, vel reconciliatio penitentium, necnon puellarum consecratio a Presbyteris non fiat. Ab universis dictum est Episcopis: Chrismatis consecratio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiat; vel reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere: hoc omnibus placet. En igitur tria, quæ fieri a Presbyteris non poterant, Christianis consecratio, & penitentium publica reconciliatio. Simile decretum a Concilio Carthaginensi tertio promanavit can. 36. Ut Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret: Chrisma vero nunquam conficiat. De reconciliatio vero publice penitentium eodem Carthaginensi Concilio tertio can. 32. sic decernitur: Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet penitentem, nisi absente Episcopo, necessitate cogente. Cujuscumque autem penitentis publicum & vulgariissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.

9. Quod vero ait noster Toletanus can. 20. Episcopo sane certum est, omni tempore licere Chrisma conficere, id non est indiscriminatum intelligendum, sed accommodate ad omnes annos; nullatenus vero ad omnes anni dies. Nemo Catholicus ambigit Apostolicam esse traditionem, ut quotannis in die Cæne Domini Chrisma conficiatur. Et Concilium Meldense can. 46. decernit: Ut nemo sacrum Chrisma nisi in quinta feria majoris septimanæ, id est in Cæna, qua specialiter appellatur Dominica, conficere presumat. Porro canon iste Toletanus refertur a Martino origine quidem Græco, sed in Hispania Bracarensi Episcopo, Martinianæ collectionis can. 51. & a Gratiano dist. 3. de consecr. cap. omni tempore.

CONCILIUM TAURINENSE

Anni 402.

1. Quod attinet ad hujus Concilii tempus, quamvis communi judicio existimatum fuerit ejus indicit celebrationem in annum a Christo 397. dum Sifricus Papa Ecclesiæ præsidebat, rectius tamen assignandum est anno 402. aut sequenti. Sanctus enim Martinus Turonensem rexit Ecclesiam ad usque initium quinti sæculi: recteque ex Sulpicio conjicit Baronius, Martini obitum non contigisse ante quadringentesimi saltem anni aut sequentis finem, die Novembris undecima: & aliunde liquet ex Zosimi Pontificis ad Africanos epist. 4. & ex ejusdem ad Africanos, Gallos & Hispanos epist. 7. Lazarum fuisse in Taurinensi Concilio calumniæ convictum, contra Bricium Episcopum intentatæ. Hic autem in Martini demortui successerat Episcopatum. Unde necesse est istud Concilium referre saltem in annum epochæ Christianæ 402. quo Bricius Turonensi Ecclesiæ post Martinum præfuit. Nisi forte Zosimus ipse falsis relationibus fuerit circumventus ab adversariis Lazari, quales pro certo erant Patroclus & Cælestinus Pelagianus.

2. Augusta Taurinorum urbs est in regione Pedemontium, intra Galliam, dictam olim Cisalpinam, Sabau-

dia Ducum sedes. Ibi congregatum Concilium fuit ad sedandas quorundam Gallicanorum Præsulum controversas, quæ tamen disceptæ non fuerunt. Litigabant invicem de Primatu Viennensis & Arelatenfis Episcopi, nec tamen ibi processum ad definitivum judicium fuit, sed hoc tantummodo interlocutorium: Ut quis ex eis approbaverit civitatem suam esse Metropolitam; is totius Provincie honorem Primatus obtineat, & ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Can. 2. Certe ad pacis vinculum conservandum hoc utiliore consilio decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra Provinciam vindicet civitates, easque visitet Ecclesias, quas oppidis suis viciniores esse constiterit. Ita ut memores concordie, atque unitatis, non alter alterum longius sibi usurpando, quod est alii proprius, inquietet.

3. Proculus etiam Episcopus Massiliensis Arelatenfi Metropolitano subjectus ac Suffraganeus, vir sublimis præferens spiritus, quemque supra vidimus una cum Constantio Legatum Gallicanarum Ecclesiarum in Aquilejensi Concilio confedisit, ambebat in aliena Provincia, scilicet in secunda Narbonensi Metropolitani dignitatem, nullum jus, nullamque suorum prædecessorum allegans possessionem, sed unum hoc prætendens, (quod tamen alii negabant Provincie Episcopi) fuisse a se quosdam ejusdem Provincie Episcopos consecratos, Aperte & indubie Baronius hic fallitur, cujus hæc ipsa in istud Concilium verba: Sed & Narbonensis Provincie primam esse sedem Massiliensem Ecclesiam declaratum est. At contrarium proflus a Concilio declaratum est can. 1. his ipsis verbis: Siquidem assereret Proculus easdem Ecclesias (secundæ Narbonensis Provincie) vel suas Parochias esse, vel Episcopos a se in eisdem Ecclesiis ordinatos. Et e diverso ejusdem regionis Episcopi aliud defensarent, ac sibi alterius Provincie Sacerdotem præesse non debere contendentes: id judicatum est a sancta Synodo contemplatione pacis atque concordie: ne non tam civitati ejus, qua in altera Provincia est sita, cujus magnitudinem penitus nesciremus, quam ipsi votissimum deferretur, ut tanquam pater filijs honore primatus assideret. Dignum enim visum est, ut quamvis unitate Provincie minime tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu: hæc igitur ipsi tantum in vita ejus forma servabitur. Hactenus verba Concilii Taurinensis, quod fatetur semel iterumque Massiliam esse diversæ a Narbonensi secunda Provincie, ideoque jus Metropolitæ aperte excludit ab Ecclesia Massiliensi: sed soli personæ Proculi solius ad solam illius vitam Primatum istum indulgere se proficitur. Quæ Concilii verba Proculi injustam patefaciunt ambitionem, simulque Concilii pusillanimitatem, non ausi Proculum factione prævalidum penitus offendere. Commonstrat tamen se novitatem in universa Ecclesia hæctenus inauditam & insolitam ad tempus dumtaxat vitæ unius invehere. Et urique Summus Pontifex Zosimus perspecta hujus Taurinensis decreti iniquitate, ipsum contrario decreto penitus abrogavit: ejusque impetratorem Proculum aperte damnavit in sua ad Patroclum Arelatensem epistola. Quin etiam Proculum adversus Apostolica mandata pertinacem, novatque turbas, & populares factiones concitantem, ipsa Massiliensi sede & Ecclesia exturbat, mandatque alium ejus loco Episcopum eligi, ut ex aliis duabus Zosimi epistolis liquet ad Patroclum & ad Massilienses.

4. Sane constituerat Nicæna Synodus can. 4. ut in unaquaque Provincia Ecclesiastica præfuit Metropolitanus intra eam constitutus. Peripicue vero testantur tum Laterculum Provinciarum Imperii Romani, tum Ammianus Marcellinus lib. historiarum 15. Arelatem & Massiliam ad Viennensem provinciam pertinere; quin etiam id ipsum plusquam semel declarat verbis jam allegatis Taurinense Concilium. Hæc igitur secunda Narbonensis Provincie, neque Massiliensem debuit Episcopum, neque Arelatensem Archiepiscopum habere Metropolitanatum, sed potius Aquifextensem, qui hoc etiam nunc potitur dignitatis gradu. Etenim Aquas sextias Notitia Imperii collocat secundæ Narbonensis Provincie Metropolitim, eique easdem subjicit civitates, quæ etiam nunc in Ecclesiastica partitione eidem Aquensi comprovinciales sunt ac suffraganeæ. Est vero demonstratu facilissimum, Ecclesiarum distributiones & colligationes jam inde ab exordiis nascentis Ecclesiæ cum partitione civili conformatas fuisse. Porro Arelatenfis Ecclesia non modo ex antiquo consequta est, ut esset Metropolis Ecclesiastica, sicque præfuit Ecclesiis Provincie secundæ, seu inferioris Viennensis, atque ita subisset Arelatenfi Metropoli (quæ ejusdem est Provincie suffraganea) Massiliensis Ecclesia, verum etiam diuturnis temporibus Primatæ ac Vicariæ Apostolicæ juræ ac auctoritate supra utramque Narbonensem & secun-

& secundam universamque Viennensem superiorem, potita fuit; & licet Nicæno canone cautum esset, ut Episcopus cujuslibet Provincie a propriis Metropolitibus consecraretur, prohibito nihilo secius a Zosimo Papa fuit, ne quisquam Viennensem aut Narbonensem Provinciarum ordinaretur Episcopus ab alio quam ab Arelatenfi, cui etiam jus collatum fuit Synodus per illas Provincias convocandi, in eisque præsidendi, ut factum videmus in Concilio Agathensi, cui Cæsarius Arelatenfis præfuit, etiam si Agatha sit suffraganea Narbonensi Metropoli. In Concilio similiter Rejenfi seu Regenfi præfuit Hilarius Arelatenfis tempore Sixti Papæ tertii, quamvis Rejorum civitas ad secundam Narbonensem, cujus est Metropolitæ Aquensis Episcopus, pertineret. Antoninus enim Augustus Rejenfium civitatem in suo collocat itinerario intra secundam Narbonensem, cujus Metropolitim esse docet Aquas sextias, hæc ipsa serie Provincie (inquit) Narbonensis secunda civitates numero septem. 1. Metropolis civitas Aquensis. 2. Aptensium. 3. Rejenfium. 4. Forojulienfium. 5. Vapincensium. 6. Seferjenfium. 7. Antipolitana. Similiter idem Imperator Antoninus Provinciam Viennensem sic delineat: In Provincia Viennensi civitates numero quindecim: 1. Metropolis civitas Viennensis. 2. Gebennensium. 3. Gratianopolitanorum. 4. Bellojocensium. 5. Vivariæ. 6. Diensium. 7. Valentinorum. 8. Avenionensium. 9. Arelatenfium. 10. Carpentoracensium. 11. Massiliensium. 12. Tricastinorum. 13. Valsionensium. 14. Arausensium. 15. Cabellionum. Primum vero Narbonensem ita concludit: Provincia prima Narbonensis civitates numero septem: 1. Metropolis civitas Narbonensium. 2. Tolosatum. 3. Biterrensium. 4. Agathensium. 5. Nemousensium. 6. Maganensium. 7. Lutevanorum. & castrum Uctiensis. In Provincia vero Alpium maritimarum Metropolitim locat Ebrodunum. Deinde civitatem Dinienfem, &c. Non inficior immutatam unius aut alterius oppidi nomenclaturam ab ætate Antonini diversam, ut contigit in Gratianopoli sic denominata ab Imperatore Gratiano, qui longe post Antoninum regnavit, cum prius Cularona diceretur. Id vero quod posterior accedit ad certioris urbis notitiam, amovendamque ambiguitatem, quæ ex veteri nomenclatura poterat suboriri, nihil obstat, quo minus verum sit ac germanum hoc itinerarium, nulla facta secundum rei substantiam commutatione. Sanctus Leo Papa epist. 50. ad novemdecim Galliarum Episcopos, qui Ravennini Arelatenfis Episcopi Hilario defuncto sublekti causæ patrocinabantur, quatuor dumtaxat civitates Viennensis attribuit Antistiti, quibus Metropolitani jure præfuit, Valentiam, Tarentasiam, Genevam, & Gratianopolim; reliquasque omnes Viennensis Provincie civitates ad Arelatenfem revocat. Tarentasia porro, si non falluntur, qui eandem cum Centronibus civitatem esse autumant, esto fuerit aliquando in civili partitione Provincie Gratianæ & Pœninarum Alpium Metropolis, sed non Ecclesiastica distributionis, cum hic Metropoli Viennæ alligetur. Rem sane obscuram & ambiguum reddunt veteres immutatae nominationes, nunc sane Tarentasia Metropolis est Ecclesiastica, cui subjiciuntur Episcopi Augustensis d' Aoste, & Sedunensis de Sion.

5. Quod vero jam admonui, intra primam Narbonensem Concilio Agathensi Arelatenfem Episcopum Cæsarium præfedisit, similiterque intra secundam Narbonensem Provinciam in Concilio Rejenfi Hilarium pariter Arelatenfem, idem obtigit inter primam Viennensem Provinciam in Concilio Valentino secundo, anni 584. sub Pelagio Papa secundo; huic enim Sapaudus Arelatenfis præfuit, primusque illud sua subscriptione firmavit, post quem subscripti Prifcus Lugdunensis, tertioque loco Evantius Viennensis Provincie illius Metropolitæ.

6. Ceterum concessum a Zosimo Papa Ecclesiæ Arelatenfi privilegium, ut ejus possit Episcopus solus consecrare civitatum intra utramque Narbonensem & Viennensem Episcopos harum Provinciarum, illa utique potestas de jure communi nec ipsis Primatibus ac Apostolicæ Sedis Vicariis poterat competere: sed per can. 4. magnæ Nicænae Synodi solis Provincie Metropolitibus debebatur: τὸ δὲ κριτὸν τῶν ὑποκρίναντων διδοῦναι καὶ ἰδίᾳ τῶν ἐπιτοπῶν τῶν μετροπολιτικῶν, ut Metropolitæ potestas detur eorum, quæ per singulas Provincias sunt. Ipla quoque Romanorum Pontificum litteræ, per quas suos ubivis Vicarios & Primates constituebant, hanc legem exprimebant: Ne quid detrimenti Metropolitibus juribus inferretur: quales videre est plerasque, ut sunt S. Leonis Papæ ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cui suas per Illyricam vices committit, servato tamen singulis Metropolitibus jure proprio, ut eis in suis Provinciis jus servetur Episcopos ordinandi. Itemque Hormisdæ Papæ suas Remigio Rhemenfi Episcopo vices per totum Clodovæi regnum delegantis epist. 1. Eisdemque

Cassianii, Notitia Ecclesiastica.

Pontificis epist. 36. ad Salustium Hispanensem Episcopum, quem suum constituit Vicarium per omnem Bœticam & Lusitaniam; utrobique enim Hormisdæ hanc adjungit reservationem: Salvis privilegijs, qua Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas. Sanctus quoque Pontifex Gregorius lib. 4. epist. 51. Virgilio Arelatenfi sic scribit: Fraternitati Vestre vices nostras in Ecclesiis, quæ sub Regno sunt præcellentissimi filii nostri Childberri, juxta antiquum morem Deo auctore committimus: singulis siquidem Metropolitibus secundam præsentem consuetudinem proprio honore servato. Quinetiam ipse Zosimus, qui per diminutionem juris ac auctoritatis Metropolitæ Vicarii sui Arelatenfis dignitatem novo & insultato incremento cumulaverat, maturiore postea consilio rescidit, quod indullerat, ut idem ipse scribens ad Simplicium Viennensis Provincie veteris Metropolitæ vicarium ingenue fatetur. Quo pariter respexit Leo Papa primus, scribens ad Episcopos, per Viennensem Provinciam constitutos epist. 89. alias 10. Quid sibi (inquit) querit Hilarius in aliena Provincia, & id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit quid usurpat? Cum & ipsum quod Patroclus a sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublaturum.

7. Id vero perquam mirum est, Episcopum Massiliensem, qui Arelatenfis Episcopi Suffraganeus erat, eique comprovincialis, tantum sibi juris usurpare præsumpsisse, ut etiam in aliena Provincia Metropolitæ esse ambiret, atque si verum esset, quod jactabat, ordinatos a se fuisse Narbonensis secundæ Episcopos; qui fieri poterat, ut vel Arelatenfis Primas, vel Aquensis Metropolitæ hoc sibi jus ab extraneo præcipi sinecerat? Probabiles sunt conjecturæ, si hoc factum fuerit, (quod tamen alii Episcopi inficiabantur) id contigisse, aut specie honoris, vel sponte ex vicinia accessisse, aut etiam rogatum quo celebriores essent plurium insulaturum Præsulum concursu consecrationes; non tamen ex officio, aut ex ulla necessitate. Facile quoque id contigisse potuit, ut quemadmodum imperante Ariano Principe Constantio, Saturninus Arianus in Arelatenfem Episcopum proventus fuerat, ita & Aquensem Ecclesiam indebitè occupavit, sive sub Juliano Apostata, sive sub Ariana Justina Imperatrice, vel etiam propter aliquod aliud delictum fuerit, vel Pontificio, vel Synodali decreto suspensus a Pontificalibus, aut aliqui exautoratus Aquensis Ecclesiæ Præsul, eaque occasione factum, ut viciniori Episcopo fuerit per provisionem contributa illa, qua Episcopus Aquensis exciderat, Ecclesiastica jurisdictione ac potestate. Proximior autem Episcopus ipse est Massiliensis. Ambæ namque civitates Aquensis & Massiliensis dimidie tantum diæte itinere ab invicem distant. Veruntamen quæcumque causa extiterit; Proculus illa sua ambitiosa præsumptione commisit Zosimi Papæ decreto etiam propria Ecclesia dejici, ut ex ejus liquet rescriptis, resciditque justissime fuit illa Taurinensis Concilii parum canonica provisio. Aquifextensis porro Episcopum, ne quod jus Metropolitæ dignitati suæ decederet, detrectare solebat in Synodos accessum, ad quas ab Arelatenfi Episcopo convenire jubebatur, ut fidem facit Symmachi Papæ Romani epistola ad Cæsarium Arelatenfem, qui per Egidium sibi subditum Abbatem conquestus de Aquensi Episcopo fuerat, recusantem ad Concilia per Arelatenfem indicta proficisci, cujus querimoniam occasione Symmachus rescripto suo renovat, infamaturque Arelatenfis Antistitis privilegia, ut invigilet circa Gallicanarum Provinciarum Episcopos, plenoque jure in eos eorumque Ecclesias utatur, speciatim vero in Aquensem Episcopum ad Concilia, quæ indixerit, per canonicas pœnas compellendum. Sanctus autem Papa Leo primus, qui magna sollicitudine Arelatenfem Metropolitæ ad proprie secundæ Viennensis Provincie limites coercere studuit, & jura dignitatemque Metropolitæ, ne longius evagarentur, intra Nicænae Synodi præscripta reduxit, ne Arelatenfes Antistites obtentu Primatæ aut Apostolicæ Vicariæ Episcopos ac Metropolitæ Provinciarum Narbonensem, & prioris Viennensis, posthac opprimere pergeret; ille igitur scribens ad Theodorum Forojulii secundæ Narbonensis Præsulæ ep. 83. alias 91. graviter illum corripit dicens: Sollicitudinis quidem tunc hic ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primus de eo, quod querendum esse videbatur, conferres. At quo Metropolitano? Non utique Arelatenfi, quem Leo ipse omni jure, quod prætendebat in utramque Narbonensem & alteram Viennensem, ut ex permultis ejus liquet epistolis, excluderat; ergo Aquensi, qui Aquifextis secundæ Narbonensis Metropolitæ fixam habebat sedem.

Porro secundam Narbonensem jam inde a prioribus sæculis spectatam fuisse: ut peculiarem provinciam Ecclesiasticam, cui ex consequenti præfuit deberet peculiaris